tamen ⁊ debet cauſam deſerere ⁊ illum cuiꝰ cauſam agit ad cedendum inducere ſiue ad cōponendum ſine aduerſarij damno. Et ſicut licitum ē inſidijs vti in bello iuſto vt patet in Joſue ⁊ ex inſidijs agere ea que facere debet prudenter occultando non tamen licet militi falſitatem fraudulenter facere quia hoſti etiam eſt fides ſeruanda ſicut tulius dicit li. .j. de offi. Hic etiam aduocato defendente cauſam iuſtam licet prudenter occultare ea quibus impediri poſſet eiꝰ ꝓceſſus n̄ aūt ꝫ aliq̄ f̄litate vti

De ſallarijs aduocatorum. ⁊c.

SEd de p̄cio aduocatoꝝ ⁊ ꝓcuratoꝝ ⁊ eius quantitate dicit Aug. ad macedoniū Aduocatus vendit licite iuſtū patrociniū ⁊ iuriſꝑitus verum conſilium licet iudex nō debet vēdere iuſtum iudicium nec teſtis verum teſtimoniū. Et pōit beatus thomas rationem quia ea que quis nō tenet̄ alteri exhibere iuſte poteſt eorum exhibitione recōpenſationem accipe ⁊ talis eſt aduocatꝰ Et ſimilis ratio eſt de medico opem ferente infirmo ad ſanandum ⁊ de alijs ſimilibus ꝑſonis. nec hoc eſt contra iuſticiaȝ dū moderate accipiāt conſiderata ꝑſonaꝝ conditione ⁊ negocioꝝ laboris ⁊ ꝯſuetudine patrie Si tamē imoderate aliquid extorquerēt peccant contra iuſticiā. vnde Aug. dicit ad macedoniū qui ab hijs extorta ꝑ imoderatā iprobitatem repeti ſolent data ꝑ tollerabilem conſuetudinem non ſolent. Ideo ī hijs regula generalis a nullo dari poteſt ſ; recta ratio informata ex p̄dicta conſideratione debet eſſe regula. ⁊ prout ſapiens determinabit excluſa effrenata cupiditate niſi pacto aut ꝯuentione voluntaria interueniēte qua pacta ſunt ſeruanda ⁊ volenti non fit iniuria. Non enim ī omneȝ euentum iuriſꝑito aut medico licet exigere quantum vult quia forte ꝑuꝰ labor neceſſarius eſt ꝓpter nature fortitudinē que optima medica eſt. aut ꝓpter cauſe tractande manifeſtam iuſticiaȝ que velociorem finē ei imponit. vnde maior conſideratio debet eſſe in labore ⁊ conſuetudine patrie quā vtilitate illius cuiꝰ cauſa vel ſanitas ꝓcurat̄ quia vtilitas illiꝰ non forte dependet ſolum ab aduocato vel medico ſed a bene utente vnde ſicut dans vſuram ſi multū lucrat̄ de pecunia quā accepit ab vſurario n̄ tenet̄ plus vſurario q̄ȝ pecuniā capitalē ſic hic in p̄nti vnd' nēo poteſt vendere illud qđ ſuū non eſt ſed labores ꝓprios bene poteſt quis vendere ⁊ non rep̄hendendum puto. Si etiam conſiderata medici habitudine ſi ſit doctor aut exptus q ꝓpter iuſticiam diſtributiuā amplius ſibi debet̄ q̄ȝ ſimplici bacculario aut minꝰ expto. ſicut videmꝰ in q̄libet architectonico opꝰ artis dirigente qui p̄fert̄ in mercede alijs plus laborantibus manualiter ⁊ minus doctis Sic etiā de aduocato doctore qui

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

totū dirigit negocium practicās in ſtudio ⁊ ſpeculatione ꝑ fortes ymaginationes ⁊ occultas cogitationes. etiam ſi ſit ſublimis ꝑſona ꝑ qua ſit ſollicitudo expedit ſtatui ſuo ⁊ magnificencie vt ſe non conformet ſtatui inferiori. Et aduocatus ſiue medicus in practicis ſuis nō ponūt aliqđ ſpūale pro precio licet ſciēcia ſit ſpūalis tamen vſus eiꝰ nō ē ſpirituale ſed opus corpale qđ licite cadit ſub ꝑcio. Alioquī nulli artifici liceret de arte ſua lucrari. Vt aūt aduocatus īmunis ſit a pecato. Primo requiritur ſciencia iuris ꝑ quā cauſam dirigat. ſecundo ꝙ vtatur hac ſcīa opās ſcdm eā. tcio ut diligēciā ſibi poſſibilē ñ omittat ⁊ tūc ſecurus erit etiam ſi cauſa ruat dūmodo ſcdm teſtimoniū conſciencie credidit ſe foviſſe iuſtā cauſaȝ q̄a piclitatio cauſe ex multis cau ſalijs euenire poteſt tam ex pte iudicis quā ex pte teſtium ſeu inſtrumentoꝝ q̄ aduocato īputari non debent nec poſſūt. De medico vero ſimiliter iſte conditiones requirunt̄ vt ſit imunis ab homicidio ſi infirmus moriat̄. Et addit̄ quarta ne ſit irregularis vt ꝯſciencia cum non remordeat ď aliquibus iſtis tribus vel alijs quia ſi contra conſcienciam ageret celebrando edificaret ad iehennam. Ponūtur hec in decretali ad aures de etate ⁊ qualitate ordinā. expertos ſcio nō latere q̄ȝ inſaciabilis ſitis vigȝ in quibuſdam aduocati officio fungentibus ꝓcuratoribꝫ atq̄ medicis. Ideo enī omne ſtudium impendit̄ facultati iuridice. Ideo frequētātur curie pallacia conſiſtoria gnālia cōcilia vt theſaurus comportet̄. Ideo progant̄ cauſe exceptiones imptinētes ꝓponuntur cauſe deſperate ⁊ iniquiſſime defendunt̄ ⁊ inumerabiles doloſitates excogitant̄ emūtur lites mouent̄ etiā litigare nolentes. De quaꝝ machinationibus bernhardus de ꝯſideratione plura ponit. Hij inquit ſunt q̄ liguas ſuas docuerunt loqui mendacium largiſſime ꝑmiſſiones poſſimi exhibitores blandiſſimi adulatores mordaciſſimi detractores ſimpliciſſimi ſimulatores ⁊ maligniſſimi proditores. Sſiciunt lites ac inſtigant ad eas nec paceȝ curant imo lites pacem eſtimāt. Vnde dicit Aug. li. de operibus monachorum. Deum teſtem inuoco ꝙ mallem ꝑ ſingulos dies manibꝫ aliquid opari q̄ȝ tumultuoſaꝝ cauſaꝝ ꝑplexitates pati. Et ābro. diſpēdijs litium carere non mediocre lucrum ē. Ideo diuino iudicio tales ſepe puniūtur ꝑ deſtitutionem loquele aut etiam rationis ante finem vite ⁊ merito vt ꝑ que peccauerunt ꝑ hec ⁊ torquent̄. De alio legit̄ ꝙ ligua eius intumuit in īfirmitate ⁊ āmonitus vt confiteret̄ ⁊ ſacramēta perciperet ꝓpter mortis piculum inſtans. Ille appellans a manifeſto grauiſſime expirauit. Et quidam aduocatus moriens enormiter liguā ꝓpriā extraxit. Item alter aduocatꝰ egrotans admonitꝰ vt eukariſtiam perciperet ait. Iudicemus prius vtrū rectum eſt aſtantes dixerunt rectum quibus ipe ait non eſt rectum quia cōpares mihi eſtis non poteſtis me

iudicare ⁊ ſic expirauit. ¶ Ideo vix inuenitur aliq̄ cauſa tam iuſta qui inuenit defenſorem pro pecunia cum tamen medici conſiderantes alicꝰ incurabilem infirmitatem nolunt ſe intromittere pro pecunia de eiꝰ curatione. ¶ Item alter aduocatus dixit cuidam paupi patrociniū poſtulāti cauſa tua ſiue iuſta ſiue iniuſta ſit eſt in manu mea dūmodo tanta ſūma pecunie ponat̄ in burſa mea. Legimus in vita ſanctoꝝ Coſme ⁊ Damiani qui piiſſimi in arte medicine erant ꝙ omnes gratis ſine pecunia curabant. Ad ſanctum damianū quedam egra mulier palladia nomine veniens que omnia que habebat in medicos expoſuit petiuit eum vt eaȝ ſanaret mox ſcȝ damianus eā ſanauit. Mulier quedā munuſcl̄a obtulit ſcȝ damiano qui noluit recipe tandem mulier adiurauit eum ſacramentis fortiſſimis vt reciperet victus importunitate mulieris r̄cepit cum comperiſſet ſcilicet Coſmas frater eiꝰ indignatꝰ precepit ne corpus eius cum ſuo corpe ſepeliret̄. Nocte ſequenti dn̄s apens coſme excuſauit fratreȝ ſuū ꝙ ꝓpter reuerenciam iuramenti ⁊ deuotionem mulieris recepiſſet. ideo ſibi indulſit ſed tales medici hodie rari ſūt q̄ pauperum ſicut diuitum curam habent. Sed vbi locupletiores ſciunt diligencius accedere ꝯſueuerunt non ꝓpter iheſum tantum ſed ꝓpter deū huiꝰ ſeculi. ſ. māmonā. i. pecuniā lege decretalem tua nos de homicidio de quodā monacho cirurgico qui quādam muliereȝ a tumore gutturis curauit conſulens eidemne aduētum iret ne moreret̄ que neglecto cōſilio eius mortua eſt papa requiſitꝰ dixit non eū eſſe ſine culpa alienū officiū vſurpando. Si tamē peritꝰ erat ⁊ diligenciam fecit poſt p actā peitenciam miſericorditer potuit cum eo diſpenſare vt diuina celebraret alias non. ⁊c.

¶ De conſulibus ⁊ rectoribꝫ cōmunitatum.

Nunc ꝓgrediendo vlterius ſpeculādū eſt aliquid de hijs qui ſunt ꝯmūitatibus in ciuitatibꝫ opidis caſtris atqȝ villis que in talibꝫ ſunt lugenda tanquā offenſa oculorum diuine maieſtatis Et certe non pauca ſe offerunt ſubtilibꝫ ſpeculanti lȝ non omnibꝫ videntur. Et multa crimina ī talibꝫ vetuſtiſſimis tempibꝫ ſic ſunt continuata ⁊ a p̄deceſſoribꝫ ad poſteros propagata vt etiam ꝑ lege defendunt̄ nec rephēſores admittāt Sicut olim de ſc domitis tradit ſacra ſcriptura Gen̄. xix. Vnde Aug. in ench. De pecatis hoim q̄ ſola inuſitata exhorreſcimus. vſitata vero pro quibus diluendis ſanguis xp̄i effuſus eſt quāuis tam magna ſint vt omnino ꝯtra ſe claudi faciūt regnū ſepe dei videndo iam tolerare ſepe tolerando nō nl̄la facē cogimur atqȝ vtinam O domine non omnia que poterimus prohibere faciamꝰ ⁊ paꝝ ante huic tatendit. pecata quāuis magna ⁊ horrēda

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf